

ducenda, Nam ( inquit ) magnopere reverendum, illum Papisticam, Cardinalitiam, Italiam, Hispanicam, Saracenicam imbutum fide, non curaturum Vestrae Celsitudinis postulat. Concludunt tandem: Deus conservet Vestram Celsitudinem. Nos ad servandum Vestrae Celsitudinis sumus promptissimi. Et omnes hoc sequenti modo, & ordine se subscribunt: Martinus Luther. Philippus Melancthon. Martinus Bucerus. Antonius Corvinus. Adam. Joannes Leningus. Justus Vvinaferte. Dionysius Melancther. Deinde extat attestatio, & legalizatio Publici Notarii, qui praedictum Votum, ac Consilium ex originali copiarit, Georgius Nulpscher Notarius.

Supradicta Historia est typis impressa Parisiis per Claudium Barbinum Anno 1687. Superiorum permisso; & in eadem ad pag. 107. extat Instrumentum copulationis ejusdem Principis Philippi Landerauii, & Margaritae de Saal; inter quos contractum fuit novum Matrimonium coram Dionysio Melancthero fidei Celsitudinis Concionatore, & aliquibus aliis Consiliariis, etsi adhuc viveret ejusdem Celsitudinis prima Uxor legitima, quae erat Serenissima Christina Ducessa Saxoniae; talisque Matrimonii secundi contractus initus fuit Anno 1740. Mense Martio, ut testatur publicus Notarius Balbissar Rand de Fulda, qui dictum publicum Instrumentum eo tempore rogavit, de quo verificatur verba Apostoli Pauli 2. Timoth. 4. 3. Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria concavebunt sibi magistros, privantes auribus. Quae verba ibi explicans Cornelius à Lapide, inquit: Multi homines volaptarii, & libertini similes sibi magistros, quae hereticos, quarent, qui hominum curiositati, & cupiditatibus indulgentes, eos à sana fide, & severitate vitae Christianae ad suos errores, & vitia, moerumque licentiam adducunt. Ita factum est cum Principe illo Landgravi, qui praefatos haereticam, ac discipulos, etsi impudentissimos, ac impios consultores sibi delegit, non ut veritatem circa concupitum Polygamiam audiret; sed ut eam licitam sibi esse, ut desiderabat, quamvis calamo infrunito ferberent, ac responderent.

Quo ad Sextum. Penae, quibus Polygami de Jure afficiuntur sunt plerimae, nempe infamiae, pecuniariae, carceris, fustigationis, exilii, & aliae, quas recenset Jac. Menochius de Arbitrar. Jud. d. casu 420. à num. 96. & seqq. ubi concludit eas arbitrarias esse Judici secundum qualitatem personarum delinquentium, & pluralitatem Uxorum, adeo ut qui plures Uxores eodem tempore duxisse comprobaretur, etiam morte naturali posset puniri; ut scripsit Grammatic. Voto 17. & Aegidius Bossius Casus Crimin. tit. de Coitu damnato num. 78. Omnes tamen DD. concordant, quod Polygami sunt suspecti de haeresi, & ab Inquisitoribus S. Officii veniunt puniendi; nisi praeventi sint à Judice Laico, quo casu, teste Sella in Select. Canon. cap. 45. num. 12. & Vincentio de Jultis de Dispensat. Matrimon. libr. 2. cap. 9. num. 32. solet Officius S. Inquisitionis de manu Judicis Laici istos reos recipere, eosque ad torturam ponere, ac super intentione interrogare, quomodo sentiant de Fide? quod si catholice super hoc respondeant, remittuntur puniendi ab ipsis Laicis. Ut plurimum tamen Rei hujus criminis Polygamiae coguntur abjurare de vehementi, quia vehementer de haeresi sunt suspecti, & puniuntur à S. Officio Inquisitionis tam in Hispania, quam Romae. ut testantur Genuentis in Praxi capit. 18. num. 11. Piafecius part. 2. cap. 4. artic. 6. numer. 9. Naldus in Summa Verb. Uxor. numer. 2. Ricciul. de Jure Perf. libr. 1. capit. 11. numer. 19. Farinacius de Haeresi quest. 178. num. 68. Carena part. 2. titul. 5. §. 11. num. 58. & Sallies tom. 3. libr. 5. cap. 5. Reg. 391. à num. 241. & seqq. Imò contra Polygamios publicatam fuisse ab Urbano VIII. Bullam Anno 1637.

in qua praecipit, eos esse severe puniendos ab Inquisitoribus S. Officii, refert Illustrissimus Baptagnus Episcopus Nucerae in suis Annalibus Sacerdotii, & Imperii tom. 2. ad dist. Annum 1637. num. 19. nec non Nicolius in Inst. Civil. tom. 1. libr. 1. tit. 10. De Nuptiis num. 53. in fine. ubi mandat, eosdem Polygamios damnari ad trirèmes in perpetuum. Tandem circa poenas contra Polygamios istas non est ignorandum, quod qui secundum ducit Uxorem, & cum ea Matrimonium consummat, vivente prima, efficitur Bigamus, & Irregularis, ita ut inhabilis ad Ordines tam majores, quam minores suscipiendos; & si quos ante suscepisset, sit prorsus suspensus ab exercitio eorum, & privatus omni privilegio Clericali. Suarez de Conjuris disp. 49. sect. 2. n. 16. Sanchez de Matrimon. libr. 7. disp. 84. numer. 1. per text. in capit. Nuper de Bigamis: Novissimè Thefaurus. De Paenis Eccles. Verb. Matrimonium. cap. 4. num. 4. addens, praedictam bigamiam esse interpretativam, super qua Episcopi minime possunt dispensare; sed à solo Papa est (quamvis magna cum difficultate) dispensabilis, & jure quidem, nam ut inquit S. Hieronymus in libr. advers. Jovinian. capit. 30. etiam apud Gentiles Romanos nullus Sacerdos fuit bigamus, nullus ex Flaminiis bimaritus.

Quo ad Septimum, & Ultimum, in quo quaeritur, An Bigamia, & Biviria sit licita, tum de Jure Divino, ac Naturali; tum etiam de Jure Ecclesiastico, & Civili? Notare oportet, quod Bigamia est, cum mortua prima Uxore, Vir aliam ducit; & Biviria quando post mortem Mariti mulier nubit alteri. Hoc supposito praefens quaesitum loquitur, quotiescumque solvitur ligamen primi Matrimonii consummati per obitum alterius conjugis; vel Matrimonii rati, dissolvi sive per professionem Religiosam, sive per castitiam dispensationem; Utrum scilicet in his casibus licitum sit novae Nuptiae? Et quidem responderet affirmativè: nam quotiescumque per mortem unius ex conjugibus solvitur Matrimonium, licitum est conjugi supersitenti, si velit, demò nubere, & aliud Matrimonium inire, juxta doctrinam Apostoli ad Rom. 7. 2. Que sub Viri est mulier, vivente Viri alligata est Legi; si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à Legge Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio Viri. Prout etiam 1. Cor. 7. 39. Si dormierit Vir ejus, liberata est; cui vult, nubat; & de hoc sunt text. in cap. Super illa. & in capit. Secundum Apostolum. De Secundis Nupt. nec non in capit. Aperiunt. 31. qu. 1. in quo S. Hieronymus ita loquitur: Aperiunt, quae so, aures obdormitantes mei, & videant me, secundas, & tertias Nuptias concessisse in Domino. Non damno bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest, arogamos. Idemque docet S. Augustinus in cap. Quod si dormierit. ead. 31. qu. 1. sic dicens: Quod si dormierit Vir ejus: Non dicitur primus, vel secundus, vel quartus: nec nobis deservendum est, quod non desinit Apostolus. Unde nec ullas debet damnare nuptias. Concordat S. Jo. Chryostomus Hom. 10. in Epist. ad Ephes. & docet S. Thomas in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. nec non in 3. p. q. 63. art. 1. & 2. ubi objecta contra secundas nuptias facit, & solvit; ostendens, quod, usque ab initio Ecclesiae, semper fuit licitum conjugi viduo, novum Matrimonium inire, quod adeo verum est, ut S. Hieronymus in Epist. 11. ad Ageruchianam narret, quo tempore ipse Romae debebat apud S. Damalium Papam, fuisse mulierem quamdam, quae viginti duobus Maritis, uno post alterum successivè nupserrat; & eodem modo Vitum, qui Uxores viginti, unam post alteras defunctas, duxerat; & hic tandem conjugatus est cum antedicta muliere; magna cum totius populi attentione, quis eorum alteri superviveret? Et Vir viduus fuit, nam ante illum Uxor obit, & fuit ab eo sepulta; & de istis conjugiis eruditae carmi-

DECISIO XXX. ARGUMENTUM.

Publicae Honestatis justitia, quae dirimit Matrimonium, in hac Decisione declaratur. Ostenditur, eam esse inductam ab Ecclesia; & oriri vel ex Sponsalibus validis, vel ex Matrimonio Rato. Ex illis per Concilium Tridentinum dirimere Matrimonium in primo gradu tantum: ex isto, usque ad quartum. Referuntur octo casus, in quibus Sponsalia sunt invalida, & ex eis non oritur Publica Honestas. Exempla aliquorum, qui ante pubertatem genuerunt filios. Quae sint exponenda Papae pro impetranda dispensatione super hoc impedimento Publicae Honestatis.

SUMMARIUM.

- 1 Honestatis publicae impedimentum Quid sit?
2 Quotplex?
3 A quo Jure procedat?
4 Quo tempore sit in Ecclesia introductum?
5 Impedimentum Publicae honestatis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium?
6 Honestas publica à Concilio Tridentino restricta ad primum gradum si oriatu ex Sponsalibus validis?
7 Publica Honestas an dirimat Matrimonium cum assensibus Sponsorum in primo gradu?
8 Sponsalia est mutuo consensu soluta causant publicam Honestatem?
9 S. Congreg. Concilii Decretum de Anno 1658.
10 Honestatis publicae impedimentum est perpetuum?
11 Honestas publica ex Matrimonio rato dirimit usque ad 4. gradum?
12 Matrimonium nullum cum consanguinea Sponse non producit publicam Honestatem cum eadem Sponsa?
13 Honestas publica non oritur ex Matrimonio sine Parocho contracto?
14 Sponsalia inita cum impubere non pariunt publicam Honestatem?
15 Puberes qui dicantur pro incunctis Matrimonis?
16 Exempla eorum, qui genuerunt filios ante pubertatem?
17 Votum Castitatis, vel Religionis ante Sponsalia destruit publicam Honestatem?
18 Sponsalia cum persona incerta sunt invalida?
19 Honestas publica an oriatu ex Sponsalibus conditionatis?
20 Neque ex contractis per habentes aliquod impedimentum dirimens?
21 Vel per Parentes nomine filiorum absentium?
22 Sponsalia secunda, stantibus primis, sunt invalida?
23 Sponsus quando nec Sponsam, nec consanguineam Sponse ducere possit?
24 Honestatis publicae Dispensatio an detur à Papa? Et quae narranda pro ea obtinenda?
25 Marci Mantuae Patavini J. C. consilium pro Henrico VIII. Angliae Rege.
26 Henrici VIII. Dispensatio Apostolica pro ejus Matrimonio an valida?
27 Honestatis publicae Dispensatio denegata DD. de Carbonibus, ac de Ferris Nob. Patavinis.

Quoniam in contrahendis Nuptiis, non solum quod licet, sed etiam quod honestum est, attendere convenit juxta textum in l. Semper ff. De Ritu Nuptiar. hinc factum est, ut praeter alia impedimenta dirimentia Matrimonium, sit in Ec-



clera statum illud, quod à Theologis appellatur *Honestas*; à Canonistis verò *Iustitia Publicæ Honestatis*, de quo in præfenti est agendum; pro cuius explanatione, ac intelligentia videbimus.

1. Quid, & quotplex sit impedimentum Publicæ Honestatis?

2. A quo Jure proveniat, & quando sit in Ecclesia introductum?

3. Inter quas personas, & usque ad quem gradum dirimat Matrimonium?

In quibus casibus cesset hoc impedimentum?

Quo ad Primum: Impedimentum publicæ Honestatis est propinquitas ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato proveniens, robur trahens ab Ecclesie institutione propter honestatem. Ita definitur à D. Thoma in 4. dist. 41. quest. Unica artic. 10. & hanc definitionem amplectuntur Theologi, & Canonistæ, inter quos Filiceus *Q. Q. Moral. tom. 1. tractat. 10. p. 2. cap. 6. num. 220.* Averfa *de Matrimon. quest. 17. sect. 4.* Salmanticenses *tract. 9. cap. 12. n. 79.* Vinc. de Justis *de Dispens. Matrim. libr. 2. cap. 8. n. 1.* Et Emmanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Ad audientiam num. 5. De Sponsalib. tom. 4. ubi eandem definitionem declarat, dicens, quod Verbum Propinquitas ponitur loco generis, quia comprehendit Consanguinitatem, Affinitatem, & Agnationem. Dicitur Ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato, ad differentiam Impedimenti Affinitatis, quæ oritur ex copula carnali, ac sanguinis commixtione; publica verò Honestas provenit absque interventu copulæ, ac ex solo Matrimonio Rato, vel ex Sponsalibus de futuro tantum. Dicitur robur trahens ab Ecclesie institutione; quia, ut infra dicemus, hoc impedimentum non est institutum à Jure Divino, neque à Jure naturali, sed à solo Jure Ecclesiastico; & additur in definitione propter honestatem; quia causa finalis, ob quam Ecclesia voluit, ne Matrimonium iniretur cum Consanguineis illarum personarum, cum quibus antea fuerint contracta Sponsalia, vel præcessit Matrimonium Ratum, fuit, ut servaretur obsequium, respectus, ac quadam reverentia erga præcedentia Sponsalia seu Ratum conjugium; in quibus cum confuervint Sponsi initiare Matrimonium per aliquos actus ad illud spectantes, scilicet amplexus, & oscula; videtur esse contra pudorem, ut sublata prima persona, cum qua fuerint exerciti (sive per obitum, sive per Sponsaliorum dissolutionem velantariam) iidem amplexus, & oscula, deinde Matrimonialis conjunctio inearum cum consanguinea primæ Sponsæ, vel Sponsi, ut si quis definitione deducatur duplex esse Impedimentum Publicæ Honestatis. Unum, quod proveniat ex Sponsalibus initis de futuro; & aliud resultans ex Matrimonio rato, non consummato; in utroque enim intrat motum prædictum pudoris, ac reverentia servandæ erga eadem Sponsalia, ac ratum conjugium, quod offenderetur, si cum consanguineis eorum, qui prius simul contraxerant, novum Matrimonium iniretur.*

Quo ad Secundum. Hoc impedimentum, ut dictum est in definitione, provenit à solo Jure Ecclesiastico, ut testantur omnes scribes. Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 70. num. 2.* Bonacina *quest. 3. punct. 11. num. 2.* Averfa *d. q. 17. sect. 4.* Basilus Pontius *lib. 7. cap. 35. num. 2.* Maltrius in 4. sent. disp. 7. num. 487. Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 27. art. 4.* & novissimè Salmanticenses *d. cap. 12. num. 80.* ubi propterea advertunt, quod hoc impedimento infideles non afficiuntur; & ideò, si aliquis Judæus contraxisset Sponsalia cum aliqua muliere, deinde converteretur ad fidem, & baptizaretur, posset contrahere Matrimonium cum sorore prioris Sponsæ infidelis, si etiam soror prædicta baptismum susceperit. Circa verò tempus, quo Impedimentum hoc Publicæ Honestatis sit in Ecclesia introductum? Respondet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 27. num. 118.* quod à principio Ecclesiæ cognita fuit iustitia Publicæ Honestatis; & id probat sequentibus juribus, ac Canonibus. Primò *ex cap. 15. Incipien. Si quis desponsaverit. 27. quest. 2.* in quo Julius Papa Primus, qui fuit electus Pontifex Anno 336. sic disposuit: *Si quis desponsaverit uxorem, vel subarraverit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam aliis causis minime eam cognoverit; neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem illo unquam tempore.* Et quamvis Basilus Pontius *d. lib. 7. cap. 36. num. 2.* conetur ostendere, hunc canonem loqui de publica Honestate proveniente ex Matrimonio rato, non autem ex Sponsalibus; contrarium tamen docet Glossa in *cap. Unico. Verb. Ex Sponsalib. de Sponsal. in 6. ubi disposita in d. cap. Unico.* per Bonificium VIII. circa impedimentum publicæ Honestatis tum ob Matrimonium ratum, tum ob Sponsalia de futuro, ait, *emanasse de declaratione eorum, quæ notatur 27. quest. 2. cap. Si quis desponsaverit.* Ergo in hoc canone, etiam ex Sponsalibus oriebatur publica Honestatis dirimens conjugium, ut bene arguit contra Pontium Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 27. n. 118.* & evidens est ratio, quia desponsata, ac subarrata mulierem est dare pignus contractus Matrimonii in Sponsalibus per verba de futuro, ut habetur in *cap. Tenor Litterarum. De Sent. & re judic. ibi i. idem. R. cum desponsationis annulo subarrasset.* Et S. Agnes Virgo, & Martyr, ut de ea scribit S. Ambrosius, Tyrannus dixit: *Annulo suo subarravit me Dominus meus JESUS CHRISTUS;* quod latius explicat Magrius in *Hierolexico Verb. Subarrabo.* Secundò probatur antiquitas hujus impedimenti *ex cap. 14. quod incipit: Si quis uxorem. ed. 27. quest. 2. ubi S. Gregorius Magnus Papa Primus, qui sedebat de Anno 590. ita respondit: Si quis uxorem desponsaverit, vel eam subarraverit, quantum postmodum, præveniente die mortis, nequeverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Quod si inventum fuerit factum, omnino separetur.* Loquitur expressè hic textus de impedimento publicæ Honestatis proveniente ex Sponsalibus, quia supponit, quod post desponsationem, & subarrationem non potuit Sponsus desponsatam ducere in uxorem, & confirmat id, quod dictum est supra de intelligentia decreti Julii Papæ Primi, quia utitur hic iisdem verbis, quibus ille, desponsationis, ac subarrationis. Tertio probatur ex scriptis Alexandri Papæ III. qui ad Cathedrali Apostolicam elevatus est Anno 1159. in *cap. Litterar. in cap. Accessit. & in cap. Ad audientiam. De Sponsal. Impub. in quibus juribus ob publicam Honestatem ortam ex Sponsalibus respondit; Matrimonium deinde intri non posse, & initum esse invalidum cum consanguineis unius ex primis Sponsis. Quarto probatur *ex cap. Duo pueri. De Sponsal. Impub. ubi proposito casu de quodam, qui desponsaverat mulierem, & postea confobrnam ejus acceperat in uxorem, & cum hac volebat permanere, asserens cum ea copulam habuisse, Clemens Papa III. sic respondit: Quia dictam S. duxit confobrnam mulieris ejusdem, sed eam cognoverit, sed non; non debet tamen cum eadem S. propter publicæ Honestatis iustitiam remanere; quia scilicet propter ejusdem publicæ Honestatis impedimentum dirimens, cum quo conjugium iniretur cum dicta confobrnam primæ suæ Sponsæ, Matrimonium erat nullum, & invalidum. Quintò probatur *ex cap. Unico. De Sponsalib. in 6. in quo Bonificius VIII. electus Papa Anno 1294. expressè statuit, impedimentum dirimens publicæ Honestatis oriri ex Sponsalibus antea initis. Sextò tandem probatur *ex Jure novissimo Concilii Tridentini, in quo sess. 24. cap. 3. de Matrim.****

rim. confirmando impedimentum prædictum, illud restrinxit ad solum primum gradum, si & quatenus proveniat ex Sponsalibus validis, ut infra dicemus. Igitur ex superscriptis Juribus, Canonibus, ac Apostolicis rescriptis constat, ab initio Ecclesiæ introductum, ac semper servatum fuisse Publicæ Honestatis impedimentum dirimens Matrimonium. Quo ad Tertium; in quo quaeritur, inter quas personas, & usque ad quem gradum prædictum impedimentum dirimat Matrimonium? distinguere oportet Jus antiquum, à Jure novo. Siquidem de jure antiquo hoc impedimentum publicæ Honestatis, si veniret ex Matrimonio rato, non consummato, sive ex puris Sponsalibus, etiam invalidis (excepta invaliditate ex defectu consensus) impediabat, & dirimebat Matrimonium inter unum ex Sponsalibus, & consanguineos omnes alterius Sponsi usque ad quartum gradum. *Unus debet. De Consang. de Sponsal. Impub. quæ Jura etsi loquuntur de Consanguinitate, & Affinitate, ex paritate tamen rationis intelliguntur, & semper intellecta fuerunt etiam de Publica Honestate, ut bene advertit Basilus Pontius d. lib. 7. cap. 35. num. 4. & Emmanuel Gonzalez in d. cap. Ad audientiam. numer. 7. de Sponsalib. De Jure autem novo, nempe ex Concilio Tridentino subsistere oportet publicam Honestatem, provenientem ex Sponsalibus, ab illa, quæ habet de presenti, non tamen consummato. In primo casu, si agamus de publica Honestate proveniente ex Sponsalibus, Concilium Tridentinum eam restrinxit ad solum primum gradum, & dummodo Sponsalia fuerint valida; adeò ut si ex quacunque causa invalida fuerint, ex eis non nascatur hoc publicæ Honestatis impedimentum, ut ex ejus decreto *d. sess. 24. de Matrim. cap. 3.* his Verbis concepto: *Iustitia publicæ Honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest hujusmodi prohibitio absque dispensatione observari.* Idcirco in presenti Sponsus, qui contraxit Sponsalia de futuro cum aliqua muliere, non potest contrahere Matrimonium cum matre, aut sorore, aut filia ejusdem mulieris, quia hæc tres personæ conjunctæ sunt in primo consanguinitatis gradu cum ipsa muliere ejus Sponsa. Et vice versa eadem mulier Sponsa nubere non potest Patri, fratri, aut filio prædicti sui Sponsi; quia hi tres primum consanguinitatis gradum occupant cum ipso Sponso; & ad hunc gradum restrictum est à Concilio Tridentino hoc publicæ Honestatis impedimentum, & ad prædictas personas tantum, exclusis prorsus aliis non solum consanguineis, sed etiam affinis; ut concorditer docent Sanchez *lib. 7. disp. 68. n. 10.* Averfa *d. q. 17. sect. 4.* Basilus Pontius *lib. 7. cap. 36. num. 4.* Salmanticenses *dist. cap. 12. num. 81.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 27. num. 48.* & Maltrius *dist. disp. 7. num. 487.* ubi subdit, quod hoc impedimentum publicæ Honestatis ad 7 personas affines non extenditur, sed attingit tantum personas consanguineas illius, cum quo inita sunt Sponsalia, vel Matrimonium ratum. Et idem asserunt Averfa *dist. qu. 17. sect. 4. in princ.* & Sanchez *dist. lib. 7. disp. 68. n. 3.* quamvis contrarium docuerit Jo: Monachus in *cap. Unico. De Sponsal. in 6.* quem reprobari à Jo. Andrea, & à Franco *ibid.* ait Sanchez *d. num. 3.* Quia opinio attempta, si soror Sponsi nupsisset alicui Viro, qui viduus effectus per mortem ejusdem sororis Uxoris suæ, duceat deinde in uxorem Sponsam prædicti Sponsi, vulgò *di suo Cognato*, Matrimonium esset validum; quia illum non attingit hoc publicæ Honestatis impedimentum. Et vice versa si Sponsa haberet fra-*

trem Uxoratum, qui frater mæretur: Sponsus autem duceat in uxorem mulierem illam, quæ fuerat Uxor fratris Sponsæ suæ, vulgò *Cognata della sua Sposa*, validum esset Matrimonium; quia hæc mulier non est consanguinea prædicti Sponsi, sed tantum affinis, prout in primo exemplo, & ipsa nuberet non consanguineo, sed Sponso Affinis suæ, etsi utrobique in primo gradu.

Ego tamen habeo magnam difficultatem in his exemplis, & in praxi sentire cum Jo: Monacho; ea ratione, quia Concilium Tridentinum tantummodò restrinxit publicam Honestatem ad primum gradum, si oritur ex validis Sponsalibus; nihil dicens, an de consanguineis, vel de affinis, relinquens parentelam in terminis Juris antiqui. At de Jure antiquo quidquid servabatur circa impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis, servabatur etiam circa impedimentum publicæ Honestatis, ut notat Emmanuel Gonzalez in *d. cap. Ad audientiam. numer. 7. De Sponsal. de Jure novo Affinitas, & publica Honestas ex Matrimonio rato æqualiter dirimunt Matrimonium prædictum cum Consanguinitate; & inter se magnam habent Symbolicam, ut dicitur Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 26. art. 5.* itaut, quæ sunt statuta de Consanguinitate debent ceteri statuta etiam de Affinitate. Igitur de Jure antiquo hoc impedimentum extendebatur etiam ad Affines usque ad quartum gradum; & subinde facta restrictione graduum per Concilium Tridentinum, & eorum reductione ad primum tantum, non censetur facta exclusio Affinitatis, & restrictio ad solum Consanguinitatem. Ulterius Affinis fit una, & eadem caro cum Consanguineo, cum quo copulatur. *cap. Si Vir. 33. qu. 3.* Ergo si publica Honestas afficit Consanguineum in aliquo gradu, debet afficere etiam Affinem in eodem gradu. Tantò magis, quia militat eadem ratio pudoris, recurdandæ ac honestatis, quæ non transit absque notabili offensa, & scandalo, si Sponsa nubat illi, qui fuit maritus sororis Sponsi sui, vulgò *di suo Cognato della sua medesima Sposa*; in utroque enim casu Matrimonium prædictum est cum Affinis in primo gradu; & eandem deformitatem haberent, ac si contracta forent cum Consanguineis in primo gradu. Quapropter cum de Jure antiquo Consanguinitas, Affinitas, & Publica Honestas essent impedimenta unius, & ejusdem qualitatis; etiam in presenti dicendum est, quod Publica Honestas non solum afficiat Consanguineos, sed etiam Affines.*

Et quoniam altercabantur Theologi inter se, an cessaret impedimentum publicæ Honestatis ortum ex Sponsalibus validis, si Sponsalia ipsa per communem consensum fuissent dissoluta, & annihilata? in quo casu, alii asserbant, impedimentum fenel ortum durare, alii verò negabant, ut legitur apud Bonacinam *de Matrim. quest. 3. punct. 11. n. 7.* & Nicolum *Instit. Civilium d. lib. 1. tit. 10. n. 54.* hæc altercatio nunc cessat, quia cum esset delata ad Sacram Congregationem Concilii, in ea declaratum fuit, impedimentum durare, etiam post dissolutionem communi consensu Sponsalia, ut ex sequenti Decreto, quod ponit ibidem Nicolius, videlicet: *Jubente S. D. N. proposito fuit in Sacra Congregatione Concilii, An Sponsalibus validè ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit substatum impedimentum Iustitiæ publicæ Honestatis? Et pluries proposito dubio, ac maturè examinato, tandem sub die 6. Julii 1658. Eminentissimi Patris in antiqua ejusdem S. Congregationis sententia constitentis censuerunt, Non esse substatum. Cujus sententia cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta*



*Ha relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua sub die 20. ejusdem mensis, praedictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque iussit in dubium deinceps non revocari.* Hanc eandem Declarationem refert Abb. Pasceus Summatr Pignatelli tom. 2. Verbi Matrimonium pag. 26. col. 2. Fagnanus, olim ejusdem Sacr. Congregationis Secretarius, in cap. Ad Audientiam. num. 29. De Sponsalib. & ex eodem illam transcripsit Gobatus de Matrim. tract. 9. n. 358. ubi num. 362. ejurat opinionem contrariam, quam antea complexus fuerat; & num. 370. advertit, quod praedictum impedimentum publicae Honestatis, ex Sponsalibus validis semelortum, est perpetuum; ad eod. ut daret etiam post mortem alterius ex Sponsis; quorum qui superites remanet, etsi defuncto alio Sponso, non possit copulari cum consanguineo in primo gradu ejusdem Sponsi defuncti, quod etiam notant Sanchez libr. 7. disp. 68. num. 20. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 5. Haec de primo casu juxta reformationem Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3. circa iustitiam Publicae Honestatis ex Sponsalibus.

Secundus casus juxta mentem ejusdem Concilii concernit publicam Honestatem insurgentem ex Matrimonio rato, non consummato; de quo cum nihil loquatur sit Concilium, restabat dubium, an dirimeret Matrimonium usque ad primum gradum tantum, prout de Sponsalibus statuerat idem Tridentinum Concilium, vel usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, de quo in cap. Sponsam. De Sponsalib. Quapropter S. Pius V. motu proprio sustulit omnem dubitationem Anno 1568. declarando per suam Bullam Incipient. Ad Romanum. impressam in fine Concilii Tridentini, quod dirimat, usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, per haec verba, quae etiam referuntur ad Barbofa ad Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 3. num. 2. videlicet: *Auctoritate Apostolica; tenore praesentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat: non autem in Matrimonio, sic, ut praeforitur, contra; sed in eo durare abque impedimento omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri ante praedictum Decretum Concilii introduciuntur.* Ex qua plana declaratione deducunt Theologi, impedimentum publicae honestatis ex Matrimonio rato insurgere etiam si tale Matrimonium fuerit nullum ex aliqua causa, (praeterquam ex defectu consensus) ut notant Perez de Matrim. disp. 22. sess. 3. Fagnanus in d. cap. Ad Audientiam. num. 20. de Sponsal. Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 5. Salmanticensis d. cap. 12. num. 83. ubi alios cumulat; & Gobatus d. tract. 9. num. 386. ubi subtiliter addit, quod si Sponsus de facto iniret conjugium cum consanguinea Sponse in primo gradu, & per consequens nulliter, & invalidè, non esset prohibitus contrahere Matrimonium cum praedicta Sponsa sua (dummodo carnaliter non cognovisset illam consanguineam) etenim, ut ait ipse Gobatus, haec duo impedimenta non habent vim reciprocam dirimendi; quod etiam tradit Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 9. num. 5. & ratio est, quia illud attentatum Matrimonium non habet vim Matrimonii, neque Sponsalium, quae praecedens Impedimentum publicae Honestatis, quod haec, & illud dirimit; & cum utraque nulla sint ipso Jure, nullum possunt parere Juris effectum, aut producere impedimentum; siquidem eatenus Matrimonium ratum, sed nullum ex aliqua causa (consensus deficientia excepta) gignit impedimentum publicae Honestatis, quatenus possit resolvi in Sponsalia valida, ut ex casibus sequentibus Studiosus Lector poterit comprehendere. Hoc etiam addit quod Matrimonium contractum sine praesentia Parochi, & Testium non parit impedimentum publicae Honestatis, quia non valet in ratione Matrimonii, neque in ratione Spon-

salium, ut declarasse S. Congregationem testatur Barbofa de Offic. & pot. Episc. alleg. 51. numer. 181. & aliis citatis Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 13.

Quo ad Quartum; ut explicemus, in quibus casibus cesset publicae Honestatis impedimentum ob invaliditatem Sponsalium, notandi veniunt omnes octo sequentes casus.

Primus est, si Sponsalia contracta sint cum impubere ante septem annos. Sanchez libr. 7. disput. 8. numer. 4. Pyrrhus Corradus in Praxi dispens. Apost. libr. 8. cap. 7. num. 10. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 20. addens num. 21. quod si Matrimonium ratum per verba de praesenti pariter contraheretur cum impubere, honestatis impedimentum ex eo insurgens restrictum esset ad solum primum gradum, quia tale conjugium haberet vim Sponsalium, non Matrimonii. Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 8. Pontius libr. 7. cap. 36. num. 8. & Navarrus in Manuali cap. 22. num. 57. nisi tamen malitia suppleret aetatem. Quamvis enim Viri dicantur puberes, attingentes Annum XIV. feminae vero XII. nihilominus si ex corporum, ac humorum maturitate ante dictos annos habiles evadant ad carnalem copulam, valide contrahunt Matrimonium, malitia tunc suppleta aetate. cap. 3. §. fin. de Despons. Impub. & cap. De illis qui in minori aetate. Hinc refert Gregorius Tololanus Synagm. Jur. lib. 9. cap. 7. numer. 9. puerum novennem impregnasse nutricem suam. Pharem filium Judae genuisse Ezron, cum tantum novem annos haberet. Roboam fuisse genitum a Salomone existente in sola aetate annorum undecim. Achaz annos tantum decem habentem procreasse Ezechiam; & ex Divo Hieronymo in Epistola ad Vitalem mulierculam alioqui provecam a puero decenni gravidam factam fuisse, cujus Sancti Doctoris verba transcribit Emmanuel Gonzalez in cap. 3. de Sponsalib. num. 4. tom. 4. ubi alia adducit exempla.

Secundus Casus, in quo Sponsalia sunt invalida, nec apta ad producendum publicae Honestatis impedimentum, est: si ante illa praecessisset Votum Castitatis, vel Religionis, dummodo tamen extiterit constet de eodem Voto, aliis praevaleat praesumptio validitatis Sponsalium, & ex eis orta iustitia publicae Honestatis. Sanchez d. lib. 7. disp. 68. num. 14. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. n. 25. & 26. addens idem esse dicendum, si Sponsalia essent nulla ex defectu consensus interni, cujus probatio dari non posset, quia Ecclesia non judicat de occultis: Sanchez d. disp. 68. n. 14. Pontius libr. 7. d. cap. 36. num. 10. Aversa d. quest. 17. sess. 5. & Salmanticensis d. cap. 12. num. 84. & 85.

Tertius Casus est, si Sponsalia contracta sint cum persona incerta, veluti cum una ex filiabus Petri; 18 tunc enim nulla sunt. Sanchez d. lib. 7. disp. 69. num. 3. Aversa d. qu. 17. sess. 5. Vers. Si vero, & Bonacina de Matrim. d. g. 3. punct. 11. num. 15.

Quartus Casus est, si fuissent inita Sponsalia sub conditione de futuro; quia ante ejus impedimentum nihil dicitur actum. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 33. ubi alios cumulat, advertens n. 34. quod si conditio turpis fuisset, vel impossibilis, quia tunc favore Matrimonii haberet pro non apposita, impedimentum Honestatis publicae oriretur. Angelus in Summa Verb. Matrimonium 3. Impedit. 14. Leo in Praxi S. Penitent. part. 2. Vers. Si autem Matrimonium contrahatur. pag. 219.

Quintus Casus est, si contrahentes Sponsalia sint impediti aliquo alio impedimento dirimente, puta Cognationis, Affinitatis, Criminis, & similibus; 20 tunc enim quia Sponsalia sunt nulla, ex eis nulla publicae Honestatis oritur iustitia. Navarrus d. c. 22. num. 58. & Pontius d. lib. 7. cap. 36. num. 5.

Sextus Casus est, si Sponsalia contracta sint a parentibus nomine Filiorum absentium; nam ante 21 quam

DECISIO XXXI. ARGUMENTUM.

quam isti illa ratificent, Honestas non gignitur. Quod si praesentes, & doli capaces sint, ac taceant, sponsalia valeant, & impedimentum Honestatis intrat. DD. ubi supra Barbofa d. alleg. 51. num. 186. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 36. & 37.

Septimus Casus est; si quis contraxisset Sponsalia sub conditione de futuro cum Berta; & non expectato conditionis eventu alia Sponsalia contraheret cum sorore Berae, haec non producerent Honestatis impedimentum, utpotè nulla, & invalida; nam teneretur expectare, ut conditio impleatur. Navarrus d. cap. 22. num. 17. Sanchez d. disp. 69. num. 3. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 40.

Octavus Casus est, si quis post Sponsalia legitime contracta cum Berta, haberet copulam cum consanguinea Berae in primo gradu, neutram absque dispensatione ducere posset, ut dictum est supra num. 12. non Beram ob impedimentum Affinitatis ob dictam copulam; non ejus Consanguineam ob impedimentum publicae Honestatis ex Sponsalibus cum Berta. Bonacina d. qu. 3. punct. 11. propos. prima in fine. Layman d. cap. 9. num. 6. Vinc. de Justis d. cap. 8. num. 46. & Salmanticensis, alios DD. allegantes d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 90.

Tandem corollarii loco est annotandum, quod super hoc impedimento publicae Honestatis frequenter Papa dispensat, & eo facilius si illud proveniat ex Sponsalibus, quam ex Matrimonio rato, ut docet Sanchez libr. 8. disp. 24. num. 16. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. n. 26. & seqq. ubi advertit, pro obtinenda dispensatione opus esse exponere, 1. An Honestatis impedimentum proveniat a Sponsalibus, vel a Matrimonio rato. 2. Si ab hoc procedat, an intercesserit copula; nam tunc duplex foret impedimentum dispensandum: unum ex publica Honestate, & alterum ex Affinitate; quae copula si reticeretur, invalida esset dispensatio, de qua invaliditate scribentes pro Henrico VIII. Anglorum Rege (inter quos unus fuit Marcus Mantua Patavinus, ut et ex ejus Voto impresso inter ejus Consilia tom. 1. consil. 121.) arguebant Dispensationem Pontificiam super ejus Matrimonio cum Regina Catharina, quae prius nupsset Arthuro ejusdem Henrici VIII. fratri germano, etsi Dispensationem praedictam nullo defectu laborasse demonstrat Sanderus de Schismate Anglic. lib. 1. cap. 58. & nos latius ostendimus infra Decis. XXXI. a num. 34. & seqq. Ultimo, quod concurrat aliqua iusta causa, vel ob angustiam loci, vel ad sedandas inimicitias, sive ad reparandam famam Sponse, si forte cum habente impedimentum publicae Honestatis minus honestè fuisset conversata; siquidem, etsi asseret Barbofa in Collect. DD. ad Concil. Trident. d. sess. 24. cap. 3. num. 15. non esse difficilem Papam in dispensando, concurrente causa iusta; hac tamen cessante, contrarium est verius, ut ego expertus sum hic Patavii cum DD. de Carbonibus; unus enim filius hujus nobilis Familiae cum desponsasset puellam DD. de Ferris per verba de praesenti, servatis de Jure servandis, & hora praedicti subitanea morte extinctus esset, Uxore intacta remanente, possibile non fuit obtinere dispensationem a SS. Innocentio Papa XI. ut eadem Puella nubere alteri fratri primi mariti defuncti; prout instanter, ac instantissime, adhibitis etiam validis intercessoribus, petebant tam DD. de Ferris, quam DD. de Carbonibus, ut parentela inter eos iniret conformaretur, & cessaret incommodum resistendi Dorem jam solutam; ac jocalia eidem Sponse tradita; haec enim omnia visa sunt Papae non continere causam sufficientem ad dispensandum super iustitia publicae Honestatis orta ex antedicto Matrimonio rato, non consummato.

Explicatur exactissime, Quid, & Quotuplex sit Affinitas? Et inter quas personas ejus impedimentum dirimens contrahatur? Ostenditur, tria Affinitatis genera olim fuisse: nunc Unum tantum, duas tamen lineas Rectam, & Transversalem complectens. Docetur, Affinitatem ex copula licita impedire, & dirimere Matrimonium inter Affines, in utraque linea, usque ad quartum gradum inclusivè: Ex copula autem illicita usque ad secundum. Disputatur, Quo Jure Affinitatis Impedimentum sit introductum? Et an de Jure Naturali sit prohibitorum Matrimonium in primo gradu utriusque lineae inter eosdem Affines? Tres sententiae referuntur innixae rationibus, Canonibus, Historicis, & Exemplis. Eligitur sententia negativa in utraque linea; eaque, ultra fortes rationes, fulcitur variis Dispensationibus Apostolicis, in primo gradu lineae transversae concessis. Tandem deciditur, An Episcopus, & Confessarii Regulares possint dispensare cum Affinibus incestuosis ad petendum debitum?

SUMMARIUM.

- 1 Affinitatis Etymologia quae sit?
- 2 Eiusdem definitio.
- 3 Affinitas oritur ex copula etiam cum dormiente, ebria, & sine sensibus.
- 4 Copula qualis esse debeat, ut gignat Affinitatem?
- 5 Semen humanum non prolificat extra vulvam feminae usuum.
- 6 Eunuchi, ac Spadones an contrahant Affinitatem?
- 7 Seminis feminei an necessaria effusio pro Affinitate?
- 8 Affinitas quas personas afficiat, & comprehendat?
- 9 Consanguinei Affinium inter se ipsos non sunt Affines.
- 10 Affinitas oritur tam ex copula licita, quam ex illicita.
- 11 Affinitatis effectus quinam sint?
- 12 Incestuosa copula quibus panis puniatur? & usque ad quem gradum?
- 13 Episcopus an dispenset in copula incestuosa ad petendum debitum? & num. 53.
- 14 Affinitatis impedimentum est perpetuum, & durat etiam post mortem.
- 15 Affinitatis genera tria de Jure antiquo.
- 16 Eius Genus Secundum, & Tertium abrogatum ab Innoc. III.
- 17 Affinitas ex Conc. Trid. alia ex copula licita, alia ex illicita.
- 18 Alia in linea recta, alia in linea transversali.
- 19 Affinium gradus quomodo computentur?
- 20 Stipes in Affinitate quis sit?
- 21 Affinitas usque ad quem gradum olim, & nunc dirimat Matrimonium?
- 22 Lateranensis Concilii IV. descriptio.
- 23 Innocentii III. Laudes, & Virtutes.
- 24 Affinitas ex copula illicita nunc non extenditur extra secundum gradum.
- 25 S. Pii V. declaratio, quod ultra secundum gradum nec dirimit, nec impedit.
- 26 Affinitas ex copula licita dirimit usque ad 4. gradum inclusivè.
- 27 Fornicationis nomen comprehendit omnem speciem luxuria.